

At respondetur hoc pendere potuisse non ab opinione communitatis armenae, sed potius a R.B. personali ignorantia in re religiosa, eo magis quod, secundum actricem, vir conventus erat « molto devoto alla propria famiglia e al proprio retaggio e non altrettanto alla propria religione »: etenim cum sacerdote ecclesiae suae locutus non est « né prima né dopo il matrimonio ».

Etsi vero silentium cleri Ecclesiae Armenae Clevelandensis triuatur falsae opinioni eiusdem de valida celebratione huius matrimonium, inde non probatur desuetudo abrogans ius antiquum de forma matrimonium. Ut ait P. Tocanel, Armeni dissidentes Americae Septemtrionalis proveniunt e Catholicosatu de Etchmiadzin, iuxta quem « *as to the question of the validity of marriage celebrated without blessing if a priest, the Armenian Church considers such a marriage invalid.* ».

13. - Rev.dus vinculi Defensor affirmat Armenos non exigere prebyterum sui ritus ut matrimonium valide benedicatur, sed « quemcumque qui benedictionem Dei in novos coniuges invocare valeat »; et addit hoc principium valere non tantum pro sacerdote cuiuscumque ritus et confessionis christianae, qui tamen valide ordinatus sit, sed etiam pro ministro sectae haereticae, qui etiamsi careat valida ordinatione « sese omnibus sacerdotibus Christi potestatibus instructum esse censet proclamaturque ». Respondendum est tamen apud Armenos designationem presbyteri exigere validam ordinationem sacerdotalem: contra, Rev. G. B., ut ipse fatetur, nullam unquam recepit ordinationem sacerdotalem seu presbyteratum.

Decisio - His omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infra-cripti Cardinales Membra Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, rae Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, edicimus, declaramus et definitive sententiamus, proposito dubio respondentibus: *Affirmative*, seu *constare de nullitate matrimonii ob defectum formae seu ritus sacri*, in casu.

Ita pronuntiamus mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium ad quos spectat, ut hanc Nostram definitivam sententiam executioni tradant et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum, iis adhibitis executivis et coercitivis mediis, quae, pro eorum adiunctis, opportunitate et efficaciora videantur.

Romae, e sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die 23 novembris 1974.

DINUS CARD. STAFFA, *Praefectus et Ponens*

+ ALOISIUS CARD. TRAGLIA

+ PAULUS CARD. MARELLA

PAULUS CARD. BERTOLI

SILVIUS CARD. ODDI

HUMBERTUS CARD. MOZZONI

AEGIDIUS CARD. VAGNOZZI

ARTURUS CARD. TABERA

JACOBUS CARD. VIOLARDO

PETRUS CARD. PALAZZINI

*Lausannen. Geneven. et Friburgen.*

*Piae Unionis*

(Exc.mus Lefebvre, recurrens)

## DECRETUM

Cum, per scriptum diei 21 maii 1975, apud Cancellariam Huius Supremi Tribunalis depositum die 5 iunii 1975, Exc.mus D.nus Marcus Lefebvre, Superior Instituti cui nomen « Fraternité Sacerdotale Saint Pie X », recursum interposuerit contra actum Exc.mi Episcopi Lausannen., Geneven. et Friburgen. diei 6 maii 1975, quo revocatur decretum erectionis eiusdem Fraternitatis;

Attento quod, ex documentis recursui adnexis, apparet actum impugnatum non esse nisi executionem decisionum latorum a Speciali Commissione trium Patrum Cardinalium, et a Summo Pontifice in forma specifica adprobatarum;

*Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal*

iuxta can. 1556 C.J.C., declarat

*recursum propositum recipi non posse ob incompetentiam absolutam eiusdem Supremi Tribunalis.*